

haud inconcinno vocabulo. Campestri ex ordine Prædicatorum elogium vide apud Echarium. Desunt mihi quæ per hæc tempora prædierunt Editiones; quibus invicem comparatis consultisque, certum inditit *Catena* tituli tempus definire liceat. Lucem aliquam affert quæ Venetiis anno MDXXI. ab Alberto Castellano Ordinis Prædicatorum curata est in fol. Inscrubitur ea quidem *Opus aureum S. Thomæ de Aquino super Quatuor Evangelia &c.* at in calce hæc habentur: „ Sanctissimi Aquinatis de Ordine FF. Prædicatorum Doctoris Angelici & clarissimi in Continuum explanationem Sanctorum quatuor Evangelistarum jussu Sanctissimi Pontificis D. Urbani PP. quarti à se editam: Cathena Aurea nuperrime nuncupata, per Ven. P. F. Albertum Castellatum Venetum ejusdem Ordinis infinitis mendis purgata &c. Venetiis mandato & expensis Heredum Nobilissimi Viri D. Octaviani Scoti Modocientis Sociorumque anno salutis MDXXI. 13. Novembris diligentissime sine impressa. Titulum ergo *Catena* anno MDXXI. nuperrime in Editionibus inditum scribebat Castellanus.

Sed illum offerunt antiquiores manuscripti Codices. Scriptus sæculo XIV. apud Echarium profat, in Bibliotheca Ecclesiæ Turonensis adservatus, in quo inscriptio legitur: *Catena Thomæ de Aquino in Mattheum & Marcum.* Alius ibidem recensetur in *Lucam & Joannem* anno MCCCXXIII. manu exaratus. Immo paulo post Sancti Doctoris obitum, usurpari ceptum *Catena* titulum, colligi Doctissimo Jacobo Echario videtur posse ex Testamentariis Tabulis Nicolai de Freanvilla, S. R. E. Cardinalis ex Ordine Prædicatorum adsumpti, à Baluzio Tom. II. Paparum Avenionensium Col. 410. & seqq. luci publicæ datis. Confectæ leguntur anno *Nativitatis Domini MCCCXXI. indictione IV. die XVII. Mensis Octobris.* Quæ verba ad rem faciunt, hæc sunt: „ Item declaramus, quod libri, videlicet *Biblia*, *Summa Decretalium* in duobus Voll. *Summa contra Gentiles*: & *Secunda Secunda*, quos habebamus antequam essemus factus Cardinalis, fuerunt dicti Conventus Ordinis Prædicatorum Rothomagensium.... Item legamus dicto Conventui Fratrum Prædicatorum Rothomagensium *Summam*, quæ dicitur *Catena Aurea*, pro communi studio. “ Quo in loco, nomine *Catene Auree*, tancti Divi Thomæ nomen non addatur, non aliud intelligi opus debet (animadvertente Echario) nisi ejus Expositio in Evangelia ex Sanctorum Patrum auctoritatibus contexta: quemadmodum cum superius, ubi de libris restituendis agitur, *Summa contra Gentiles* simpliciter appellatur, & *Secunda Secunda*, nemini dubium esse poterat: quin hæc opera Thomæ Aquinatis essent. Quæ si ita se habeant, non longe à Thomæ obitu opus, quo de agimus, vulgo *Catena* vocitari solebat, & *Catena aurea*: at eidem primi Editores frequentius titulum inscribere *Continuum*, & *Glosse continue*, Sanctissimi Auctoris verbis convenientem, qui Commentationes suas in Epistolis Nuncupatoriis appellavit *Expositionem Continuum*.

V. Ad intimam modo, ut ita loquar, texturam operis jam sermo procedat. Ipse Thomas perspicue declarat eam. In Epistola ad Urbanum IV., Diversis Doctorum libris, inquit, prædicti Evangelii (in Mattheum) Expositionem Continuum compilavi: pauca quidem certorum Auctorum verbis, ut plurimum ex Glosis adiciens; quæ ut ab eorum dictis possent discerni, sub Glosæ titulo prænotavi. In altera ad Hannibaldum. Et ut magis integra, ait, & continua prædicta Sanctorum Expositio redderetur, quasdam expositiones Doctorum Græcorum in Latinum feci transferri; ex quibus plura expositionibus Latinorum Doctorum interferui, Auctorum nominibus prænotatis.

Nomina Patrum Scriptorumque Ecclesiæ, quorum sententiæ aut testimonia afferuntur, exhibent Editiones omnes, Catalogis duobus Operi præfixis, altero Latinorum Patrum, altero Græcorum. Accuratiores videntur qui chronologia servato ordine profiant in Editione Romana jussu Pii V. confecta anno MDLXX.

Dionysius Areopagita.	Julius Africanus.
Origenes.	Cyprianus Carthagenensis.
Dionysius Alexandrinus.	Hilarius Pictavorum Ep.
Titus Bostrensis.	Damasus Papa.
Eusebius Cæsariensis.	Ambrosius Mediolanensis.
Athanasius Alexandrinus.	Hieronymus Presbyter.
Didymus Alexandrinus.	Augustinus Hipp. Ep.
Gregorius Nazianzenus.	Leo Papa I.
Josephus Hierosolymitanus.	Prosper Rhegiensis.
Basilius Cæsariensis.	Maximus Taurinensis.
Gregorius Nyssenus.	Fulgentius Ruspenis Ep.
Epiphanius Salaminæ Ep.	Gregorius Papa I.
Joannes Chrysostronus.	Isidorus Hispalensis Ep.
Severianus Gabalensis.	Beda Presbyter.
Theophilus Alexandrinus.	Alcuinus, seu Albinus.
Cyrillus Alexandrinus.	Haymo.
Isidorus Pelusiotus.	Rabbanus Maurus.
Theodoretus Cyrensis Ep.	Remigius.
Joannes Damascenus.	Petrus Alphonfus.
Theophylactus.	Glosse diversorum.
Euthymius Monachus.	
Græcus Anonymus.	

Patres vero Scriptoresque laudatos, eorumque Opera, ac Operum indicata loca diligentius expendentes Viri Critici, animadvertenda nonnulla proponunt: alterius Scriptoris nomen pro altero interdum poni, supposititia quoque adhiberi opera; ac plura sine dubio depravata inventiri loca. Neque tamen Angelico Doctori id vitio vertas, quod ipsi ceterisque ejus ævi scriptoribus commune est. Causa fuit rudioris & impoliti sæculi conditio. Difficultatem auxit extrema eodum penuria, qua Viri docti adigebantur, Patrum sententias non ex fonte haurire, sed ex Glosis aut similibus collectionibus. Græcorum etiam Patrum latinæ interpretationes, quæ præ manibus habebantur, vitio laborabant: ac ipsi demum interpretes, Patrum Scriptorumque nomina, aut litteris dumtaxat initialibus, aut notis compendiaris indicata, pro libito efferebant. Id genus causas novit ipse Thomas, ac enarrat. Candide fatetur, ut plurimum ex Glosis, non ex fonte, verba Patrum desumpta: adhiberi oportuisse translationes vitiosas, in Homiliario maxime Joannis Chrysostroni: Doctorumque Græcorum quasdam expositiones in Latinum, se curante, conversas ab interprete, cujus fidem sequi debuit ipse. Verumenimvero ea semper fuerit Operis à Thoma elucubrati maxima laus: quo factum est (Antonii Posslevini S. I. verba refero) ut & Evangelicum sensum, & Patres antiquos Latinos, qui delitescerant, aut minore erant in usu, ac Græcos ipsos interpretis assequeremur, divina Viri caritate procurante, ut Latine propterea venterentur.

Mendis porro, sive quæ laboriosissimi Operis conditio ferebat in rudis sæculo, sive quæ postea Exscriptorum, Typographorumque oscitantia irrepserant, improbo labore tergere ac purgare Opus ipsum aggressus est Joannes Nicolajus Ordinis Prædicatorum Gallus, professione primum Viridensis, postea Blefensis. Quid ipse præstiterit, satis indicat Titulus editionis, quæ Parisiis primum prodiit anno MDCLVII. f. Eadem locum habet in Tomo XVII. Parisinæ omnium Operum Thomæ editionis anno MDCLX. quæ demum Heribipoli recusa est impensis Joannis Ziegeri Bibliopolæ anno MDCCIV. Titulum profero: „ Sancti Thomæ Aquinatis ex Ordine Prædicatorum Quinti Ecclesiæ Doctoris Angelici Expositio continua super quatuor Evangelistas ex Latinis & Græcis Auctoribus, ac præsertim ex



„ ex Patrum sententiis & glossis miro artificio, quasi uno tenore contextuque conflata: Catenam auream iustissimo titulo nuncupata: nunc vero tandem ab innumeris & enormibus mendis aliarum Editionum expurgata, locorum indicibus antea falsis vel imperfectis insignita: nostris additamentis, marginibus, & ornamentis aucta, ut singulis Evangelistis præfixa Præfatio plenius indicabit. “

Tam ardui adsumpti laboris primæ partes fuerunt, ut locorum vel sententiarum, quæ afferuntur, indices accuratissime adnotarentur. Hinc diligentissime cum Patrum Scriptorumque jam editis libris, atque catenis collatione facta, uterque catalogus tum Latinorum, tum Græcorum Patrum emendatior proponitur, ac magno illorum numero auctus, qui vel nominibus propriis, vel sub nomine *Glossæ*, vel vage sub nomine *Græci Scriptoris*, vel denique nominibus commutatis allegantur à Sancto Thoma. Liceat illum & hoc loco proferre Lectorum oculis, ut quæ & quanta legere debuerit Aquinas ad unam contextendam Catenam suam, innotescat.

## Auctores Latini.

- |  |  |
|--|--|
| S. Ambrosius: sub ejus nomine Commentator in Paulum.           | Haymo Halberstatensis.   |
| S. Augustinus: & sub ejus nomine Auctor quarumdam quaestionum. | S. Isidorus Hispalensis.   |
| S. Anselmus Cantuar. multoties Glossæ nomine indicatus.        | Joannes Casianus, Collator dictus.                                 |
| Alcuinus, qui & Albinus. Beda Presbyter.                       | S. Leo Papa Magnus.  |
| S. Cyprianus Carthag. Ep. & M.                                 | S. Maximus Taurinensis: verius Maximus Martyr inter Græcos.        |
| S. Damasus Papa.   | S. Petrus Ravennas, qui & Chrysologus: etiam sub nomine Severiani. |
| S. Fulgentius Rufp. aliquando sub Augustini nomine.            | S. Prosper Aquitanus.  |
| S. Gregorius Papa Magnus.                                      | Petrus Alphonsus, ex Judæo postmodum Christianus.                  |
| S. Hieronymus: & sub ejus nomine Commentator in Marcum.        | Rabbanus Maurus.   |
| S. Hilarius Pictaviensis.                                      | Remigius Altisiodorensis.  |
|  | Severianus pro Chrysologo positus, ut supra.                       |
|  | Glossæ variz Anonymæ..   |

## Auctores Græci.

- |   |   |
|---|---|
| S. Athanasius: & sub ejus nomine adscriptus Auctor. | S. Joannes Damascenus.                            |
| Anastasius, Maximi discipulus.                      | Josephus, Judaicarum Antiqq. auctor.              |
| S. Amphylochius Iconiensis.                         | Isaac Monachus.                                   |
| S. Andreas Casariensis.                             | Isidorus Pelusiota, qui & Isidorus Abbas.         |
| Antipater Bostrensis.                               | S. Justinus M.                                    |
| Alexander Monachus.                                 | S. Macarius Senior.                               |
| Apollinaris Laodicenus.                             | S. Maximus M.                                     |
| Asterius Apamienis.                                 | Marcus Monachus, vel etiam Marcus Heremita.       |
| S. Basilus Cæsar. Magnus.                           | S. Methodius Episcopus Tyri & M.                  |
| S. Cyrillus Alexandrinus.                           | Metaphrastes, qui & Simeon.                       |
| S. Cyrillus Hierosolymit.                           | S. Nilus Monachus Copl. etiam Nilus Abbas dictus. |
| Clemens Alexandrinus.                               | Nicetas Paphlagonius.                             |
| Clemens Romanus.                                    | Origenes Adamantius.                              |
| Cofinas Monachus.                                   |   |
| S. Joannes Chrysothomus.                            |   |
| S. Joannes Clymacus                                 |   |

S. Dionysius Areopagita.  
Didymus Alexandrinus.  
Diadochus Photicensis.  
S. Epiphanius Ep. Salaminae.  
Evagrius Scholasticus.  
Eusebius Casariensis.  
Eurychius Patriarcha.  
Euthymius Monachus.  
S. Gregorius Nazianzenus.  
S. Gregorius Nyssenus.  
S. Gregorius Neocæsariensis.  
Geometer.  
Hefychius Hierosolymitanus.  
Hippolitus Portuensis.  
S. Ignatius Antiochenus M.

S. Irenæus.  
Philo Carpatius.  
Photius Cpolit. testimonio S. Cyrilli commendatus.  
Severus Antiochenus.  
S. Sincerus Ptolemaidis Ep.  
Theodoretus.  
Theodorus in Concilio Ephesino.  
Theophrastes.  
Theophanes.  
Theopistus.  
Theophylactus.  
Titus Bostrensis.  
Victor Antiochenus.

Tot Patres Scriptorumque, quos maxime Græcos numeravimus, in Opere Divi Thomæ allegari, docet Nicolajus, vel nomine suppressio in *Glossis*, vel sub nomine vago *Græci*, aut *Expositoris Græci*: idque se didicisse admonet, diligenti facta collatione tum *Catene LXXV. Græcorum Patrum*, quam edidit Corderius, tum *Græce Expositionis in Lucam* instar *Catene* concinnatæ, quam servat manuscriptam Parisiensis Cardinalis Mazarini Bibliotheca, sibi que indigitaverat Doctissimus Confodalis Franciscus Combefisius. Tam laboriosam vero laudati Nicolai operam in Indicibus locorum accurate notandis, ipsisque locis vero suo Auctori restituendis, quis impensis non commendet? Ultra processit ille. Narrat quippe in Præfatione: „ adulteratam Patrum, vel aliorum quoque Auctorum verba, & præsertim Græcorum, quæ latine perperam reddita sunt, ex ipsismet fontibus restituisse: corrupta reparavisse, mutila integrasse, prætermissa suppluisse, imperfecta complevisse, perturbata digessisse: & vel in textu immutasse, cum immutari absolute necessarium fuit; vel veriorum lectionem, ac legitimam, ex Græcarum locutionum usu ad marginem posuisse: & Græcæ ipsas voces, vel phrasas aliquando integras ad majorem certitudinem annotavisse: “ Qua in re an liberius egerit ipse quam par esset, orta lis est cum Francisco Combefisio, de qua infra dicendum.

VI. Capita quedam adhuc manent, ad ipsos Patres, eorumque opera, latinæque versiones attinentia, quæ animadversione digna sunt. Paulo fusiore institutere sermonem liceat, quo ipsum Thomæ Opus aut illustremus, aut vindicemus.

*Dionysius Areopagita*, ejusque opera occurrunt primo. Natales eorum incerti videntur, & obscuri. Contra Censores, qui primi prodire, egerunt vindicias in eunte sæculo sexto Joannes Scythopolitanus, & Maximus Martyr sæculo Ecclesiæ septimo, quorum apologia in Scholis ad Opera vulgo Areopagitica habentur, & in Prologo: eandemque Spartam ornavit Theodorus quidam Presbyter apud Phorium Codice primo. Superioribus sæculis ad ætatem usque Theodori Gazæ & Laurentii Vallæ, qui sæculo quindicesimo florebat, hæc opinio obtinuit prævaluitque; omniumque consensu atque veneratione Scripta illa, tamquam genuinis antiquissimi Areopagite Apostolorum discipuli factus, recipiebantur; ut mirum minime sit, ejusmodi libros absque ulla hesitatione allegasse Thomam, suoque Commentario inscriptum opus, *De divinis Nominibus*, illustravisse. Sæculo nono Joannes Erigena Scotus latine vertit libros *de Cælesti*, & *de Ecclesiastica Hierarchia*, *de divinis Nominibus*, & *de Mystica Theologia*. Novam latinam interpretationem, postulante Odone de Diogilo Abbate S. Dionysii prope Parisios, aggressus est Joannes Saracenus, complevitque post annum MCLIII. Utramque videre ac lustrare licuit Aquifati.

*Josephus Hierosolymitanus*, qui in Romana editione anni MDLXX. recensetur, *S. Th. Op. Tom. VIII.*



tur, obiisse dicitur anno 370. Hinc Josephum illum ab Editoribus intellectum puto, quem natione Judæum, patria Tyberidensem, ingenti miraculo ad fidem conversum, rei christianæ in Judæa amplificatorem, refert Sixtus Senensis claruisse sub Constantio Principe, sublatoque morte anno Domini CCCLXX. nonagenarium. Cum eodem plerique apud Caveum confundunt Josephum alium Christianum: auctorem Hypomnesifici seu Commonitorii: in quo breviter dubia solvuntur, quæ rudiores Christiani, minusque in Sacra Historia periti proponere poterant. Sed hunc circa annum CCCCXX. floruisse, conjiciunt laudatus Caveus, & Joannes Albertus Fabricius.

Neutrum vero ab Aquinate nostro allegatum, Nicolai sententia est. In suo Catalogo, quem Numero superiore descripsimus, utroque rejecto, subdit ipse Josephum Historicum, Judaicarum Antiquitatum Auctorem. Ac sane ad caput 11. Matthæi v. 22. ex eodem Josepho Historico, quem allegat, plura ad genealogiam Herodis & Archelai attentina deflorat Thomas ex libris Judaicarum Antiquitatum, & de Bello Judaico. De antiqua librorum Josephi latina versione egregie disputat illustrissimus Justus Fontaninus Archiepiscopus Ancyranus Libro V. Historiæ Literariæ Aquilejensis capite xvi. ubi docet, nullas in ea adornanda fuisse partes Rufini Presbyteri Aquilejensis, ut vulgo creditur est: Judaicas vero Antiquitates, flagitante Calsiodoro, latine conversas ab ejus amicis; Epiphano Scholastico, Bellatore Presbytero, & Mutiano: Libros denique de Bello Judaico latine contractos translatoque ab Ambrosio, necdum Episcopo Mediolanensi, sed adolecente. Ubertiora lege apud laudatum Fontaninum.

VII. Sub Joannis Chrysofomi nomine passim affert sententias Thomas, ex Opere imperfecto in Matthæum decerptas: quod opus abs Sanctissimo Constantinopolitano Episcopo jam tota abjudicat Criticorum natio. Quin ejus verus Auctor Chrysofomus esset, Thomæ ætate ambigebat nemo. Publice in Ecclesia sub nomine Sanctissimi Viri inter divinas laudes legebantur Homiliæ ex eodem opere desumptæ: ex eoque passim inducebantur sententiæ in Glossis Authenticis quas vocant Ordinarias, in Catenis Evangelicarum explanationum, in Decretis Summorum Pontificum, in Summis Theologicis. Consule Sixtum Senensem.

Homiliæ in Matthæum: legitimum Chrysofomi scærum, quæ frequentissime citantur in Catena, quanti faceret Auctor Catenæ, Divus Thomas, facile colligi ex eo potest quod ab eo dictum traditur, referente Papirio Massono Libro VI. de Romanis Pontificibus, in Joanne Papa XXII. malle se uti Chrysofomi libris in Matthæum quam possidere fruique Lutetia Parisiorum. Ita Montfauconius initio Præfationis in Homiliis S. Joannis Chrysofomi in Matthæum: ubi addit ille, id ab Oldrado Ju risconsulto, qui sub Joanne Avenione vivebat, memoriæ proditum esse. Tam magnificæ laudis à Thoma effusæ advocari testes debuissent Bartholomæus Logotheta, & F. Nicolaus de Malaforte, in Processu Canonizationis apud Continuatores Bollandi ad diem vii. Martii. Verba refero, quæ habentur capite ix. num. 78. „Dum ipse Frater Thomas rediret de Sancto Dionysio ad Civitatem Parisiorum, „ut viderent eam, quieverunt aliquantulum: & unus illorum Fratrum dixit: dignens sermonem suum ad eundem Fratrem Thomam: Pater, quam plucbra villa „est ista Parisi! F. Thomas respondit: Certe pulchra. Tunc dixit Frater: Utinam „esset vestra. Et idem F. Thomas respondit: Quid facerem ego de ipsa? Et Frater „respondit: Venderetis eam Regi Franciæ, & de pecunia edificaretis omnia loca Fratrum Prædicatorum. Et idem F. Thomas respondit: In veritate plus vellem Chrysofomum super Matthæum. Hæc à multis & multis præfatus testis (Bartholomæus Logotheta) audivisse se dixit, & specialiter à F. Nicolao de Malaforte de Neapoli „Consiliario Regis Francorum, qui fuerat Scholaris discipuli Testis, & specialis amicus. Et veniens nuntius ab eodem Rege Francorum ad illustrem Principem Dominum, Regem Carolum II. dixit hoc dicto Testi in Terra S. Germani; & dixit, quod „hoc erat vulgariter & quasi communiter notum Parisiis.

Ad latinam quod attinet, hujusmodi Homiliarum versionem, qua Thomas in

ope-

opere suo contendo usus est, non ambigit laudatus Doctissimus Montfauconius illam esse, quam Anianus confecit: Anianus ille, Celedensis Diaconus, qui Diospolitana Synodo interfuit, librosque pro adferenda hæresi Pelagiana scripsit, ac indubie Homiliis septem Chrysofomi De laudibus S. Pauli Apostoli latine transfuit. Quæritur porro, utrum Homiliæ omnes ejusdem sanctissimi Viri in Matthæum Latino donaverit ille, an eas tantum octo quæ adhuc supersunt, vel plures quidem, sed non universas? Re accuratius pensata (ait Montfauconius in Præfatione cit. §. v.) illum omnes omnino Chrysofomi Homiliæ in Matthæum latine convertisse, ni fallor, deprehendi. Inter plura rationum momenta, quod sequitur animadvertite: Divus Thomas Aquinas, qui tam magnificè hunc Commentarius laude celebravit.... ubi hunc Commentarium legere potuerat, nisi in Aniani versione, quæ tunc una forebatur? Et latinam quidem versionem, qua utebatur, veluti vitiosam redarguit Thomas: ac Anianum sane in sua Translatione parum feliciter processisse, maximeque in cassum sæpe verba multiplicare, & circuitione usum ea pluribus enunciare quæ poterant brevius & commodius exhiberi, adnotat sæpe laudatus Montfauconius. At Anianam hanc versionem num Thomas adhibuerit, gravissimum ingerit mihi dubium enormis discrepantiæ, quæ in sententiis ab eodem Thoma decerptis apparet. Nonnulla conferre loca præstat, latissimumque Lectorum oculis discrimen subjicere.

Ex Aniani versione  
apud Montfauconium.

Ex continua expositione  
seu Catena Divi Thomæ.

Homil. 1. „ Numquid posset esse „ æquale his tam bonis nunciis? Deus „ in terris; homo in celo: facta est om- „ nium una permixtio... Erat cernere „ antiquum repente prælium dissolu- „ tum... Deum hominibus reconcilia- „ rum, diabolum vero confusum.. mor- „ tem peremptam. paradisum apertum... „ quæ... Evangelia nominantur, non „ tantum quia firma sunt ac penitus im- „ mobilia, supraque nostram eminentia „ dignitatem: sed quia cum omni etiam „ facilitate nobis donata sunt. Non enim „ laboribus nostris, atque sudoribus, non „ doloribus, & ærumnis; sed per Dei in „ nos tantummodo caritatem tam gran- „ dia hæc promissa suscepimus.

Homil. 2. „ Non igitur exiguam rem „ aliquam opineris audire, cum hanc „ generationem audis edisseri, sed totam „ tam in te mentem profus exfusca... „ Usque adeo enim istud mirabile erat, „ & nulli ante profus auditum... Valde „ enim mirabile, quod ineffabilis Deus „ per Virginis ad nos venit uterum, & „ fieri ex muliere dignatus est, & habe- „ re progenitores David & Abraham.

Homil. 3. „ Simul etiam illud agit, „ ut ostendat omnes, ipsos quoque pro- „ genitores eorum, subditos esse peccati- „ tis... Urget enim Thamar, fornica- „ tio Judam accusans, & David forni-

In Præfat. „ Chrysofomus in Ho- „ mil. super Matthæum: Quid enim his „ bonis nunciatis fiat æquale? Deus in „ terra; homo in celo; amicitia Dei ad „ nostram facta naturam; prolixum fo- „ lutum prælium, Diabolum confusus, „ mors soluta, paradisus apertus. Et „ hæc supra dignitatem nostram, & cum „ facilitate nobis data sunt: non quia la- „ boravimus, sed quia dilecti sumus à „ Deo.

Cap. 1. „ Chrysofomus in Homil. „ Nec est parva æstimasse audire, hanc „ audiens generationem: est enim valde „ auditu mirabile, quod ineffabilis Deus „ ex muliere nasci dignatus est, & ha- „ bere progenitores David & Abra- „ ham.

Ibidem „ Chrysof. in Homil. Post „ hoc monstratur omnes obnoxios fuisse „ peccatis: inflat enim Thamar fornica- „ tio Judam accusans, & David forni-



tionem ejus accusans. David quoque Salomonem ex muliere, quæ illi fuerat ex adulterio juncta, suscepit. Quod si à magnis illius custodita lex non est, multo potius à minoribus. Si ergo non est impleta lex, omnes utique peccaverunt, & necessaria facta est Christi præsentia.

Homil. 4. Postquam dixit, quod esset ex Spiritu Sancto, & absque ulla mixtione sexuum, sermonem suum etiam aliunde confirmat. Ne suspicaris discipulum (Matthæum Evangelistam) in gratiam Magistri hoc commentum esse, inducit Josephum per ea quæ passus est, his fidem facientem.

Ibidem. Justum hic, in omni virtute dicit esse perfectum. Est enim justitia specialis quadam, & ex parte justitia, avaritiæ vitio non teneri: est vero justitia altera generalis, quæ ex cunctis omnino perficitur.

Ibidem. Consideras certe modestiam, ac maturitatem Viri, non modo non punivit aliunde gravidam, sed nec cuiquam mœoris sui causam retexit, ne illi quidem ipsi de qua cum suspicio mordebat; sed secum ipse &c.

Satis hæc superque sunt, ut versionis utriusque maximam noverit Lector discrepantiam; ac ingeri posse non leve dubium intelligat, num Aniana versione usus fuerit S. Thomas? Equidem admonentem audivimus Ipsum in Epistola ad Urbanum quartum: *interdum à se positum sensum, ac verba dimissa, præcipue in Homiliario Chrysofomi, propter hoc quòd est translatio vitiosa.* At in allatis locis, quæ collata sunt, Aniana translatio dici quidem redundans potest, minime vitiosa; ac præterea testimonia Chrysofomi, quæ adhibet frequentissime Thomas, non interdum, sed passim tum vocibus latinis, tum vocum ordine ab eadem discrepant Aniani versione; ut hanc sub oculos haud habuisse videatur Aquinas, sed aliam quæ grecum textum pressius ad litteram exprimebat. Quenam vero fuerit ista, & à quo connecta, incompertum mihi.

VIII. Cyrilli Alexandrini sententias proferentem Thomam ex libro *Theauri*: aut nimis credulitatis, aut etiam aperte fraudis plerique pudore omni deposito insimulant. Insignem assero locum, qui legitur in Expositione capituli xvii. Matthæi, ad ea verba: *Tu es Petrus &c.* Nempe: Cyrillus in Libro *Theauri*: *Secundum autem hanc Domini promissionem Ecclesia Apostolica Petri ab omni seductione hæretica quæ circumventionem manet immaculata, super omnes Prepositos & Episcopos, & super omnes Primates Ecclesiarum & populorum, in suis Pontificibus, in fide plenissima & auctoritate Petri. Et cum aliæ Ecclesie quorundam errore sint verecundatæ, stabilita iniquissimè ipsa sola regnat, silentium imponens & omnium obtinens ora hæreticorum. Et nos necessario salutis non decepti superbia, neque vino superbie inebriati, tyrium veritatis, & Sanctæ Apostolicæ traditionis, una cum ipsa confitemur & predicamus.*

Quod insignè testimonium, & alia quadam parem sensum pro Romani Pontificis primatui exprimentia, in opusculo contra Græcos & alibi prolata, tamen si diligentissime perquisita, haud unquam in libris *Theauri*, aut aliis Cyrilli operibus in-

cata mulier genuit Salomonem. Si autem à magnis, lex non est impleta, nec à minoribus: & sic omnes peccaverunt, & necessaria facta est Christi præsentia.

Ibidem. Chrysof. in Homil. Cum dixisset Evangelista, quod ex Spiritu Sancto, & sine concubitu inventa est, in utero habens; ne suspectum habeas Christi discipulum, quasi grandia de suo Magistro fingentem, introducit Joseph, per ea quæ passus est, ad fidem eorum quæ dicta sunt conferentem.

Ibidem. Chrysof. in Homil. Sed sciendum quod justum hic virtuosum, in omnibus dicit. Est enim justitia specialis quadam, ut avaritiam non habere, & altera universalis virtus.

Ibidem. Chrysof. in Homil. Notatur etiam mansuetudo Joseph, quia nulli enarravit suam suspicionem, neque ei quæ suspecta erat; sed in se cogitabat.

inveniri poterunt, nec sane extant. Hinc falsi crimen Divo Thomæ impingere veriti non sunt Rainoldus, Riverus, Dallaus, Heterodoxi homines: leviorè notavit ipsum credulitate Launojus in Epistola I. & II. ad Antonium Faurnum. Utroque vitio Doctissimi & Sanctissimi Aquinatis nomen editis apologiis absterferè Joannes Nicolajus, Bernardus Guyardus, Vincentius Baro, & Natalis Alexander, Ordinis nostri præstantes alumni; itemque Robertus Bellarminus de Romano Pontifice, Jacobus Gretserus in ejusdem Bellarmini defensione; & Philippus Labbeus in Dissertatione Historica de S. Cyrillo Alexandrino.

Putant aliqui, mutilum ad nos pervenisse Cyrillianum *Theauri* opus; adeoque sententias ab Aquinate decerptas, in libris deperditis per quam facillime extitisse. At eas (indulgendum est) scripserit numquam Cyrillus: inventas attamen in quibusdam, quæ avo illo ferebantur, collectionibus nomine Cyrilli prænotatis, bona fide deprompsit attulitque Thomas, non ipse confinxit. Ac testimonium sive, quod superius descriptum est, legi testatur Guyardus in vetusto manuscripto Codice apud Sanjacobos Parisinos: aliasque pares Cyrilli nomine insignitis reperiri sententias in Colbertino Codice Bonacursii, qui Doctoris Angelici postremis annis vivebat, fidem facit Michael Lequienus in Præfatione Panopliæ contra Schisma Græcorum. Hæc vero fraudem sine pudore impactam amoliantur omnem: censuramque nimis credulitatis vel ipse emollire studet Lannojus, qui animadvertendum Epistola I. citata proponit: *Thomam factum doctiorem & cautorem, testimonium hæc pro derelicto habuisse; & silentio, deprehense vel obfæte falsitatis indicæ, suppressisse*: nempe II. 2. Q. I. Art. 10. & Q. II. Art. 2. & Q. xxxix. Art. 1. & Quodlib. ix. Art. 10. quibus in locis de Romano Pontifice ejusque potestate uberius agitur.

Ut sese hæc habeant, sui ipsius validissimas agit vindicias ipse Thomas in Opusculo contra errores Græcorum, in Præfatione ad Urbanum IV. Summum Pontificem. Dignissima sunt animadvertentia quæ sequuntur verba. *Libellum (inquit ille) ab Excellentia vestra mihi exhibitum... diligenter perlegi, in quo inveni quam plurima ad nostram fidei assertionem utilia, & expressa.* Ecce fontem illum, unde Aquinas hausit non paucas Græcorum Patrum, & ipsius Cyrilli Alexandrini auctoritates, quæ frustra in eorum libris perquiruntur. Sed illarum vadem se non dar ille, fidem relinquens penes Collectorem: in idque solummodo incumbit unum, ut eas quæ fidei tuendæ conferre possunt exponat, aliasque quæ videbantur adversæ ad rectum sensum convertat. Ait enim: *Consideravi autem, quòd ejus (libelli à Papa oblato) fructus possent apud plurimos impediri propter quadam in auctoritatibus Sanctorum Patrum contenta, quæ dubia esse videntur, & unde possent materiam ministrare errorum, & contentions dare occasionem & calumnie.* Et ideo ut remota omni ambiguitate ex auctoritatibus in prædicto Libello contentis, fidei fructus purissimos capiatur; proposui primo ea, quæ dubia esse videntur in auctoritatibus prædictis exponere; & postmodum ostendere, quomodo ex eis veritas catholica fidei doceatur, & defendatur. Fraus ergo Thomæ nulla locum habet, bona & optima fides patet; ac sincerissima innotescit mens, cum fide catholica conciliandi, quæ forte minus congrue dicta inveniebatur in ea Patrum collectione, quam Urbanus tradiderat, ipsamque fidem roborandi convenientibus Sanctorum testimoniis. Perinde res est de Cyrilli testimonio in *Catena* descripto, sive illud ex eodem Libello decerperit Thomas, sive ex alia vulgata collectione. Criticas ejusdem discussiones prætermittit; illudque adhibendum censuit ad eam fidem exponendam, quam de Primatu Petri & Romanorum Pontificum, deque prerogativa Romanæ Ecclesiæ tradidit ipse Cyrillus indubis ac sinceris in aliis locis, ac tradunt una voce Ecclesiæ Patres. Constat Dogmaticos & Polemicos Theologos: ac lege Dissertationem pro Cyrilli testimonio contra nugæ Launojanas vindicando, quæ reperitur in Præfatione Apologetica in *Catena* Auream S. Thomæ, & Patris Nicolai editionem novam. Ipsius Joannis Nicolai opus est sub nomine Honorati à S. Gregorio Parisiis apud Jacobum Greu MDCLXVIII. in 12.



Præclarum aliud præterire non licet testimonium, quod sub eisdem Cyrilli nomine allatum à Sancto Thoma, in ejus Operibus, quæ ad nos pervenerunt, nullibi existare, adnotat Richardus Simonius in Historia critica Interpretum Novi Testamenti capite xxxiiii. Ad ea verba Lucæ capite xxii. v. 19. *Et accepto pane gratias egit &c.* proluxa Cyrilli sententia profertur, in qua hæc habentur verba: *Condescendens Deus nostris fragilitatibus, insiuit oblati vim vitæ, convertens ea in veritatem propriæ carnis.* Cyrilli locus, ubi hæc docuerit ille, vano conatu hæcenus perquisitus. At neque falsi crimen Thomæ impingendum, neque Sanctum Doctorem levitatis notandum ipse animadvertit Simonius, tum quia Commentariorum ejus in Novum Testamentum parte non modica malo fato caremus, tum quod allegatum testimonium sub nomine Cyrilli prostat in Græca Catena in Evangelium Marci, cujus plura manuscripta exempla servantur in Regia Parisiensis Bibliotheca: ac locum eundem extare in Græco ms. Victoris Antiocheni, & in Catena Græcorum Patrum Tolosæ edita à Popsino ex ms. codice Bibliothecæ Bavaricæ, adnotat Natalis Alexander Disert. xii. sæculi xi. & xii. art. 17. ubi Angelicum Doctorem vindicat à calumnia Alvertini Calviniani Ministri. Dignum & illud est animadversione, locum à Thoma indigitarum nullum, ex quo proluxa illa sententia decerpta fuerit: sed nomine Cyrilli prænotato, integram uno tenore describi diligentia tamen Joannis Nicolai jam innotescere, ex uno loco partem, partes alias ex aliis locis ab Aquinate depromptas. Integrum sub oculo posito testimonium cum variis citationibus à Nicolajo adjunctis: *“Cyrillus. Ne dubites, an hoc verum sit, eo manifeste dicente, Hoc est corpus meum: sed potius suscipe verba Salvatoris in fide: cum enim sit veritas, non mentitur. Et ad Calosyrium Episcopum: Insaniunt igitur dicentes, mysticam benedictionem à sanctificatione cessare si quæ reliquæ remanserint ejus in diem subsequenter: non enim mutabitur sacrosanctum Christi Corpus, sed virtus benedictionis & vivificativa gratia juvis in eo est. Et Lib. IV. in Joannem cap. xiv. ac deinceps: Virtus enim vivificativa Dei Patris unigenitum Verbum est; quod caro factum est, non desines Verbum, sed efficiens carnem vivificativam. Et cap. xxxiii. Si enim in aliquo liquore modicum panis immiseris, reperies hunc imbibitum qualitate illius. Igitur vivificativum Dei Verbum, unius est ipsum propriæ carni, fecit eam vivificativam. Numquid ergo & quoniam in nobis vita Dei est, Dei Verbo existente in nobis, vivificativum erit nostrum corpus? Et alibi: Sed aliud est, secundum participationis habitudinem nos habere in nobis Dei Filium: aliud ipsum fuisse factum carnem, idest, corpus sumptum ex alma Virgine, proprium corpus effecisse. Decebat ergo eum nostris quodammodo uniri corporibus per sacram ejus carnem & pretiosum sanguinem, quæ accepimus in benedictionem vivificativam in pane & vino. Ne enim horreremus carnem & sanguinem apposita factis Altaribus, condescendens Deus nostris fragilitatibus, insiuit oblati vim vitæ, convertens ea in veritatem propriæ carnis &c.* Indices locorum adjunctos tolle: sententia manet sub uno tenore: quam ceteræ præstant editiones. Postremæ vero partis locum neque novit ipse Nicolajus: unde satis illi fuit adnotare, eam alibi à Cyrillo scriptam.

Ad illa verba Matthæi capite v. v. 13. *Vos estis sal terræ*, hæc eisdem Hilarii verba ex ejus Commentario profert in sua Catena Thomas: *“Hilarius Et hic proprietas querenda dætorum, quam Apostolorum officium, & ipsius salis natura monstrabit. Hoc igitur in omnem usum humani generis effectum, incorruptionem corporibus, quibus fuerit aspersum, impartit & ad omnem sensum conditi saporis aptissimum est. Apostoli autem sunt rerum celestium prædicatores, & æternitatis veluti salitores: merito sal terræ nuncupati, quia per virtutem doctrine, quasi salientes, æternitati corpora servant.”* Hæc postrema verba sic effert editio Doctissimi Constantii Ascetæ Maurini: *per virtutem doctrine, salientis modo, æternitati corpora reservantes.* Legendum, *Satores*, ut in omnibus Sancti Hilarii exemplis editis ac mss. contendeat Joannes Nicolajus: emendandam Hilarii editionem

ex Divi Thomæ Catena, reponere Franciscus Combesius; ac legendum *Salitores*: hinc inter utrumque lis erudita exorta est. Nulla enim, inquit Combesius, *Salis* metaphora *Sationis* causa: nisi quam Hieronymus affert, quæ scilicet omnis nis facultas germinis sublata significetur, eoque seminata terra sterilitate demetur. Una vero *salis* utilitas, conservatio à putredine: ex qua capta metaphora, *Salitores* æternitatis, qui Dei gratia renovatos in ea conservant, ut beata æternitate fruuntur. *“Aptissimam & optimam inficiari potest nemo metaphoram, quam exponit Combesius. An ea vero lectionem Catenæ Auræ satis vindicet, dubium mihi. Nullas circa prædictum vocabulum, Satores, varias reperit in Codicibus Hilarii, quas adnotaret lectiones, laudatus Constantius. Immo testatur Jacobus Echardus, in Exemplis MSS. Catena, quæ Parisiis vidit ac diligenter lustravit, constantissime se legisse, Satores. Habent, Salitores, editiones, Romana anni MDLXX. & Veneta anni MDXCIII. & Antverpiensis anni MDCXII. At, Satores, lego in vetustis, Romana anni MCCCCLXX. Lugdunensibus MDXX. MDXXX. & MDXLII. Veneta MDXXI. ac Parisi. MDLII. & MDCXI.*

IX. *Euthymii Zigabeni*, Græci Monachi, pauca proferuntur verba ad caput I. Lucæ v. 5. *Fuit in diebus Herodis Regis Judææ &c.* nempe: *“Chrysofomus... Alius autem Herodes fuit, qui Joannem occidit; sed ille Tetrarcha fuit, hic autem Rex. Euthymius: Rex, inquam ille qui infantes occidit; pater illius Herodis, qui Præcursorem interemit. Beda: Tempus autem Herodis alienigenæ, Regis &c.”* Ex ipsius Euthymii Commentario in Lucam desumpta verba sunt. Nec *Euthymii* nomen, nec allata ejus verba legi in Veneta Catenæ editione anni MCCCCLXXXVI. neque in Parisina anni MDLXVI. adnotat loco superius citato Simonius: eademque cum Auctoris nomine, interpolatoris cuiusdam manu adjecta, suspicatur. Brevis quidem illa sententia deest in aliis editionibus, quas expendere licuit, prima Romana MCCCCLXX. Lugdunensibus MDXX. MDXXX. MDXLII. Veneta MDXXI. & Parisina MDCXI. Attamen ea legitur in Romana MDLXX. Veneta MDXCIII. Antverpiensi MDCXII. An ergo hocce additamentum causam habeat audacem interpolatricem manum, an Codicum variantium innoxiam discrepantiam?

Ad *Glossas* demum quod attinet, quæ frequentius in Catena promuntur, pauca admonere præstat: eas ut plurimum obvias nunc non esse proque *Anonymis* haberi: at aliquas reperiri tamen, quæ, animadvertente Nicolajo, occurrunt in Commentariis in Matthæum, Anselmo Cantuariensi, vel Laudunensi tributis, vel potius Herveo Monacho Dolensi adjudicandis.

X. De ratione in editione hujusce Catenæ servanda, quæ nostras etiam curas exercuit, quæstionem olim agitatam inter laudatos Doctissimos Viros, Nicolajum, & Combesium, narrat Echardus. Censebat, contendeatque primus, loca sacra Scripturæ, Sanctorumque Patrum, quæ ab Aquinate allegantur, ad recentiores accuratiorisque, ut putabat, editiones conferri & emendari debuissent: remque partim executus est Parisiis apud Societatem anno MDCLVII. edito Volumine in f. Titulum novæ editionis Num. V. dedimus.

Vero & recto minus congruam criterio hanc judicabat rationem Combesius: constituebaturque, genuinum ac germanum Thomæ opus ut habeatur, loca illa non ut nunc leguntur, sed ut ea legit attulitque Sanctus Doctor, producenda esse: variantesque & novas lectiones ad marginem, si ita videatur, apponi posse. Hinc speciminis loco, in iis Catene partibus, quæ sua in Bibliotheca Concionatoria locum habent, antiquas lectiones, quas esse Thomæ censuit, intactas reliquit, ad marginem immutationes à Nicolajo factas annotans, & aliquando castigans.

In suæ defensionem causæ Opusculum typis edidit Nicolajus inscriptum: *In Catenam Auream Sancti Thomæ, & P. Nicolai editionem novam Apologeticam præfatio*, sub adscitito nomine Honorati à S. Gregorio, Parisiis apud Jacobum Greu anno







D I V I  
T H O M Æ  
A Q U I N A T I S,  
D O C T O R I S A N G E L I C I,

A D U R B A N U M I V . P O N T . M A X .

I N C A T E N A M

S U P E R M A T T H Æ I E V A N G E L I O E D I T A M

E P I S T O L A D E D I C A T O R I A .



ANCTISSIMO, ac Reverendissimo Patri Domino Urbano, divina providentia Papæ Quarto, Frater Thomas de Aquino, Ordinis Fratrum Prædicatorum, cum devota reverentia, pedum oscula beatorum. Fons sapientiæ unigenitum Dei Verbum præfidens in excelsis, per quod Pater sapienter fecerat, & suaviter disposuerat universa, in fine temporum carnem sumere voluit, ut sub tegumento naturæ corporeæ, splendorem ejus humanus intuitus posset inspicere, quem in celsitudine majestatis divinæ attingere non valebat. Diffuderat siquidem radios suos, sapientiæ videlicet suæ indicia, super omnia opera quæ creavit; quodam vero ampliori privilegio imaginem propriam hominum animabus impresserat; (1) quam tamen diligentius expresserat in cordibus ipsum amantium secundum sui muneris largitatem! Sed quid est hominis anima in tam immensa creatura, ut divinæ sapientiæ vestigia possit comprehendere ad perfectionem? Quinimmo & sapientiæ lux infusa hominibus per peccati tenebras, & occupationum temporalium caligines fuerat obum-

(1) *Al.* quantum diligentius.

obumbrata; & intantum est quorundam cor insipiens obscuratum ut Dei gloriam in idola vana converterent, & quæ non conveniunt facerent, in sensum reprobum incidentes. Divina vero sapientia, quæ ad sui fruitionem hominem fecerat, eum sui inexpertem esse non sinens, totum se in humanam naturam contulit, eam modo sibi assumendo mirabili, ut errantem hominem ad se totaliter revocaret. Hujus igitur sapientiæ claritatem nube mortalitatis velatam, primus Apostolorum Princeps fide conspiceret meruit, & eam constanter absque errore, & plenarie confiteri, dicens (Matth. XVI. 16.) *Tu es Christus Filius Dei vivi*. O beata confessio, quam non caro & sanguis, sed Pater cælestis revelat! Hæc in terris fundat Ecclesiam, aditum præbet in cælum, peccata meretur solvere, & contra eam portæ non prævalent inferorum. Hujus igitur fidei, ac confessionis heres legitime, Sanctissime Pater, pio studio mens vestra invigilat, (2) ut tantæ sapientiæ lux fidelium corda perfundat, & hæreticorum confutet insanias, quæ portæ inferorum merito designantur. Sane si, secundum Platonis sententiam, beata censetur Respublica, cujus rectores operam sapientiæ dare contigerit, illi siquidem sapientiæ, quam imbecillitas intellectus humani erroribus plerumque commaculat, quanto magis sub vestro regimine beatus censeri potest populus christianus, ubi tanta diligentia excellentissimæ illi sapientiæ curam impenditis quam Dei Sapientia carnalibus membris induta & verbis docuit, & operibus demonstravit? Et hujus siquidem diligentia studio Vestræ Sanctitati complacuit mihi committere Matthæi Evangelium exponendum, quod juxta propriam facultatem executus, solcite ex diversis Doctorum libris prædicti Evangelii expositionem continuam compilavi, pauca quidem certorum Auctorum verbis, ut plurimum ex Glossis adjiciens, quæ, ut ab eorum dictis possent discerni, sub Glossæ titulo prænotavi. Sed & in sanctorum Doctorum dictis hoc adhibui studium, ut singulorum Auctorum nomina, nec non in quibus habeantur Libris assumpta testimonia descri-


(2) *Al.* ut ante.



cribantur: hoc excepto quod libros, & expositionem supra loca quæ exponebantur, non oportebat specialiter designari: puta, sicubi nomen inveniatur Hieronymi, de Libro mentione non facta, datur intelligi quod hoc dicat super Matthæum: & in aliis ratio similis observetur: nisi in his quæ de Commentario Chrysostomi super Matthæum sumuntur, oportuit inscribi in titulo, Super Matthæum, ut per hoc ab aliis quæ sumuntur de ipsius Homiliario distinguantur. In assumendis autem Sanctorum testimoniis: plerumque oportuit aliqua rescindi de medio ad prolixitatem vitandam, nec non ad manifestiorem sensum, vel secundum congruentiam expositionis, litteræ ordinem commutari. Interdum etiam sensum posui, verba dimisi, præcipue in Homiliario Chrysostomi, propter hoc quod est translatio vitiosa. Fuit autem mea intentio in hoc opere non solum sensum prosequi literalem, sed etiam mysticum ponere; interdum etiam errores destruere, nec non confirmare catholicam veritatem. Quod quidem necessarium fuisse videtur, quia in Evangelio præcipue forma fidei catholice traditur, & totius vitæ regula christianæ. Prolixum igitur præfens opus non videatur alicui: fieri enim non potuit ut hæc omnia sine diminutione prosequeretur, & tot Sanctorum sententias explicarem, omnimoda brevitate servata. Suscipiat itaque Vestra Sanctitas præfens opus, vestro discutendum, corrigendumque iudicio, vestræ sollicitudinis, & obedientiæ meæ fructum, ut dum a vobis emanavit præceptum, & vobis reservetur finale iudicium, ad locum unde exeunt flumina revertantur.

DIVI

P R Æ F A T I O



D I V I  
T H O M Æ  
A Q U I N A T I S,  
D O C T O R I S A N G E L I C I  
S U P E R M A T T H Æ I E V A N G E L I U M C A T E N A.

## P R Æ F A T I O.

Super montem excelsum ascende tu qui evangelizas Sion: exalta in fortitudine vocem tuam qui evangelizas Hierusalem: exalta, noli timere: dic civitatibus Judæ: Ecce Deus vester, ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium ejus dominabitur: ecce merces ejus cum eo. Esa. 40. 9.



**E**VANGELII (1) pronuntiator apertus Esaias Propheta, evangelicæ doctrinæ sublimitatem, nomen, & materiam breviter comprehendens, evangelicum doctorem ex persona Domini alloquitur, dicens: *Super montem excelsum ascende tu etc.* Ut autem ab ipso Evangelii nomine fumantur exordium: AUGUSTINUS contra Faustum (Lib. 2. cap. 2. à medio illius.) Evangelii nomen Latine interpretatur bonum nuntium, vel bona annuntiatio: quod quidem cum aliquod bonum (2) annuntiatur, semper dici potest; proprie tamen hoc vocabulum obtinuit annuntiatio Salvatoris, Narratores quippe originis, factorum, dictorum, passionum Domini Jesu Christi proprie dicti sunt Evangelistæ. CHRYSOSTOMUS in homil. super Matth. (1. non remote à principio.) Quid enim his bonis nuntiatis fiat æquale? Deus in terra, homo in celo, amicitia Dei ad nostram facta naturam, prolixum solum prælium, diabolus confusus, mors soluta, paradysus apertus. Ec hæc omnia supra dignitatem nostram, & cum facilitate nobis data sunt: non quia laboravimus, sed quia dilecti sumus à Deo. AUGUSTINUS in Lib. de Vera Religione (cap. 16. in principio.) Cum enim omnibus modis medeatur animis Deus, pro temporum opportunitatibus, quæ mira sapientia ejus ordinantur, nullo modo beneficentius consuluit generi humano, quam cum unicus Filius consubstantialis Patri, & coæternus, totum hominem suscipere dignatus est, & Verbum caro factum est, & habitabit in nobis: ita enim demonstravit quam excelsum locum inter creaturas habeat humana natura, in hoc quod hominibus in vero homine apparuit. AUGUSTINUS in serm. de Nativ. (serm. 9. circa principium.) Demum factus est Deus homo, ut homo fieret Deus. (a) Hoc igitur bonum evangelizandum pronuntiat Propheta dicens: *Ecce Deus vester.* LEO in epistola ad Flavianum (epist. 10. cap. 3. in medio.) Exinanitio autem illa, qua se invisibilis visibilem

(1) In Veneta edit. ann. 1521. huic sententiæ præponitur index Glossæ. (2) Al. annuntiamus.  
EX EDITIONE P. NICOLAI. (a) GLOSSA.



bilem præbuit, & creator, ac dominus omnium rerum unus voluit esse mortalium, inclinatio fuit miserationis, non deserto potestatis. GLOSSA. Ne ergo sic Deus adesse credatur, ut fieret aliqua diminutio potestatis, subiungit Propheta: *Ece Dominus in fortitudine venit.* AUGUSTINUS de Doctrina Christiana (Lib. 1. cap. 10.) Non per locorum spatia veniendū, sed in carne mortali mortalibus apparendo. (2) LEO in ser. (19. ante medium) de Domini passione. De ineffabili autem Dei potentia factum est ut dum Deus verus est in carne passibili, conferatur homini gloria per contumeliam, incorruptio per supplicium, vita per mortem. AUGUSTINUS, de Peccatorum meritis (Lib. 2. cap. 30.) Fuso enim sanguine sine culpa, omnium culparum chirographa deleta sunt, quibus homines à diabolo antea tenebantur. GLOSSA. Quia ergo per virtutem Christi patientis, homines à peccato liberati, servi facti sunt Dei, sequitur: *Et brachium eius dominabitur.* LEO Papa in serm. de Passione (serm. 19. parum ante medium.) Assuit autem nobis in Christo singulare præsidium, ut in natura passibili mortis conditio non maneret, quam impassibilis essentia receperat, & per id quod non poterat mori, possit id quod mortuum fuerat, suscipi. GLOSSA. Et sic per Christum nobis immortalis gloria aditus aperitur; unde sequitur: *Ece merces eius cum eo:* de qua scilicet ipse dicit (Matth. 5.) *Merces vestra copiosa est in caelis.* AUGUSTINUS contra Faustum (Lib. 4. cap. 2.) *Aeterna enim vitæ promissio, regnumque caelorum ad novum pertinet testamentum, temporalium vero promissiones testamento veteri continentur.* GLOSSA. Sic ergo quatuor nobis de Christo evangelica doctrina tradit: divinitatem affirmantem, humanitatem assumptam, mortem per quam à servitute eripimur, resurrectionem per quam nobis aditus gloriae vite aperitur: & propter hoc in Ezechiele sub figura quatuor animalium demonstratur. GREGORIUS super Ezech. (hom. 4. parum à princ.) Ipse enim unigenitus Dei Filius veraciter factus est Homo; ipse in sacrificio nostræ redemptionis dignatus est mori, ut Vitalus; ipse per virtutem suæ fortitudinis surrexit, ut Leo; ipse etiam ascendens ad caelos est elevatus, ut Aquila. GLOSSA. In qua ascensione manifeste ostendit suam divinitatem. Matthæus ergo in Homine intelligitur, quia circa humanitatem Christi principaliter immoratur; Marcus in Leone, quia agit de resurrectione; Lucas in Vitulo, quia agit (1) de sacerdotio; Joannes in Aquila, scribens sacramenta divinitatis. AMBROSIVS super Lucam (in Præfatione in Lucam parum ante finem.) Et bene accidit ut quoniam Evangelii huius librum secundum Matthæum dicimus esse morale, opinio huius præmitteretur: istos enim proprie dicuntur humani. Figura autem Leonis adscribitur Marco, quia à potentia cepit expressio divina, cum dixit: *In initium Evangelii Jesu Christi Filii Dei.* Joanni autem figura Aquilæ, eo quod divina miracula resurrectionis expressit. GREGORIUS in Ezech. (homil. 4. in princ. Lib. 1. cap. 6.) Hæc autem ipsa uniuscujusque libri evangelica exordia testantur: nam quia ab humana generatione cepit, jure per hominem Matthæus; quia per clamorem in deserto, recte per Leonem Marcus; quia à sacrificio exorsus est, bene per Vitulum Lucas; quia vero à divinitate Verbi cepit digne per Aquilam significatur Joannes. AUGUSTINUS de Conf. Evang. (Lib. 1. cap. 6.) Vel Matthæus, qui regiam Christi personam maxime commendavit, per Leonem significatur; Lucas autem per Vitulum, propter viciniam sacerdotis; Marcus autem, qui neque stirpem regiam, neque sacerdotalem narrare voluit, & tamen in humanis versatus ostenditur, hominis figura significatur. Hæc autem tria animalia, Leo, Homo, Vitulus in terra gradiuntur: unde isti tres Evangelistæ in istis maxime occupati sunt quæ Christus in carne operatus est: At vero Joannes, velut Aquila, volat, & lucem incommutabilis veritatis acutissimis cordis oculis intuetur. Ex quo datur intelligi, tres Evangelistas circa activam vitam fuisse versatos, Joannem vero circa contemplativam. Doctores autem Græcorum per hominem intelligunt Matthæum, quia genealogiam Domini secundum carnem descripsit; per Leonem vero Joannem, quia sicut Leo suo rugitu cunctis bestis timorem incutit, sic & Joannes cunctis hæreticis timorem incutit; per Vitulum intellexerunt Lucam, quia Vitulus sacerdotalis est hostia, & ipse semper circa templum, & sacerdotium versatus est; & per Aquilam Marcum intellexerunt, quia Aquila in Scripturis divinis solet significare Spiritum Sanctum, qui locutus fuit per ora Prophetarum, & ipse à prophetico testimonio exorsus est. ΗΕΡΟΚΛΕΥΣ (in prologo super Evang. ad Eusebium in principio.) Circa numerum vero Evangelistarum sciendum est, plures fuisse qui, Evangelia scripserunt, sicut & Lucas Evangelista testatur dicens (cap. 1.) *Quoniam quidem multi conati sunt ordinare hæc, & sicut perseverantia usque ad præsens tempus monumenta declarant, quæ à diversis auctoribus edita, diversarum hæresum fuisse principia, ut est illud juxta Ægyptios, & Thomam, & Matthiam, & Bartholomæam, duodecim quoque Apostolorum, & Basilidis, atque*

(1) Al. de sacrificio. (2) Al. de sacrificio. (3) Al. de sacrificio. (4) Al. de sacrificio. (5) Al. de sacrificio. (6) Al. de sacrificio. (7) Al. de sacrificio. (8) Al. de sacrificio. (9) Al. de sacrificio. (10) Al. de sacrificio. (11) Al. de sacrificio. (12) Al. de sacrificio. (13) Al. de sacrificio. (14) Al. de sacrificio. (15) Al. de sacrificio. (16) Al. de sacrificio. (17) Al. de sacrificio. (18) Al. de sacrificio. (19) Al. de sacrificio. (20) Al. de sacrificio. (21) Al. de sacrificio. (22) Al. de sacrificio. (23) Al. de sacrificio. (24) Al. de sacrificio. (25) Al. de sacrificio. (26) Al. de sacrificio. (27) Al. de sacrificio. (28) Al. de sacrificio. (29) Al. de sacrificio. (30) Al. de sacrificio. (31) Al. de sacrificio. (32) Al. de sacrificio. (33) Al. de sacrificio. (34) Al. de sacrificio. (35) Al. de sacrificio. (36) Al. de sacrificio. (37) Al. de sacrificio. (38) Al. de sacrificio. (39) Al. de sacrificio. (40) Al. de sacrificio. (41) Al. de sacrificio. (42) Al. de sacrificio. (43) Al. de sacrificio. (44) Al. de sacrificio. (45) Al. de sacrificio. (46) Al. de sacrificio. (47) Al. de sacrificio. (48) Al. de sacrificio. (49) Al. de sacrificio. (50) Al. de sacrificio. (51) Al. de sacrificio. (52) Al. de sacrificio. (53) Al. de sacrificio. (54) Al. de sacrificio. (55) Al. de sacrificio. (56) Al. de sacrificio. (57) Al. de sacrificio. (58) Al. de sacrificio. (59) Al. de sacrificio. (60) Al. de sacrificio. (61) Al. de sacrificio. (62) Al. de sacrificio. (63) Al. de sacrificio. (64) Al. de sacrificio. (65) Al. de sacrificio. (66) Al. de sacrificio. (67) Al. de sacrificio. (68) Al. de sacrificio. (69) Al. de sacrificio. (70) Al. de sacrificio. (71) Al. de sacrificio. (72) Al. de sacrificio. (73) Al. de sacrificio. (74) Al. de sacrificio. (75) Al. de sacrificio. (76) Al. de sacrificio. (77) Al. de sacrificio. (78) Al. de sacrificio. (79) Al. de sacrificio. (80) Al. de sacrificio. (81) Al. de sacrificio. (82) Al. de sacrificio. (83) Al. de sacrificio. (84) Al. de sacrificio. (85) Al. de sacrificio. (86) Al. de sacrificio. (87) Al. de sacrificio. (88) Al. de sacrificio. (89) Al. de sacrificio. (90) Al. de sacrificio. (91) Al. de sacrificio. (92) Al. de sacrificio. (93) Al. de sacrificio. (94) Al. de sacrificio. (95) Al. de sacrificio. (96) Al. de sacrificio. (97) Al. de sacrificio. (98) Al. de sacrificio. (99) Al. de sacrificio. (100) Al. de sacrificio.

Apellis, & reliquorum, quos enumerare longissimum est. Ecclesia autem, quæ supra petram Domini voce fundata est, quatuor flumina Paradisi insar eructans, quatuor annulos, & angulos habet, per quos quasi arca testamenti, & custos legis Domini lignis mobilibus vehitur. AUGUSTINUS de Conf. Evang. (Lib. 1. cap. 2. in princ.) Vel quoniam quatuor sunt partes orbis terre, per cujus universitatem Christi Ecclesia dilatatur. Alius autem fuit eis ordo cognoscendi, atque prædicandi, alius autem scribendi. Ad cognoscendum quippe, atque prædicandum primi fuerunt qui secuti sunt Dominum in carne præsentem, docentem audierunt, facientem viderunt, atque ex ejus ore ad evangelizandum sunt missi; sed in conscribendo Evangelio, quod divinitus ordinatum esse credendum est, ex numero eorum, quos ante passionem Dominus elegit, primum, ultimamque locum duo tenuerunt: primum Matthæus, ultimum Joannes, ut reliqui duo, qui ex illo numero non erant, sed tamen Christum in illis loquentem secuti erant, tamquam filii amplectendi, ac per hoc in loco medio constituti, utroque ab eis latere munirentur. REMIGIUS, Matthæus quidem scripsit in Judæa sub tempore Cæsi Caligulae Imperatoris; Marcus in Italia, Romæ sub tempore Neronis, vel Claudii, secundum Rabbanum; Lucas vero in Achajæ, Bœotæque partibus, rogatus à Theophilo; & Joannes Ephesi in Asia minori sub tempore Nervæ Principis. BEDA. Sed tamen cum sint quatuor Evangelistæ, non tam quatuor Evangelia, quam unum quatuor librorum veritati consonum ediderunt. Sicut enim duo versus eandem prorsus habentes materiam, pro diversitate metri, & verborum, duo sunt, & tamen non nisi unam continent sententiam; sic Evangelistarum libri, cum sint quatuor, unum continent Evangelium, quia unam doctrinam faciunt de fide catholica. CHRYSOSTOMUS in homiliario super Matth. (hom. 1. in Mat. in princ.) Sufficiebat autem ut unus Evangelista omnia diceret; sed cum quatuor ab uno, ore omnia loquantur, non secundum eadem tempora, neque in eisdem locis convenientes, & ad invicem colloquentes, maxima sit demonstratio veritatis. Et hoc ipsum quod in aliquibus modicis dissonare videntur, maximum signum veritatis est. Si enim per omnia consonarent, crederent inimici, quod ex placito quodam humano convenientes scriperint quæ scripserunt. In principalibus quidem, quæ pertinent ad informationem vitæ, & prædicationem fidei, nequaquam dissonant nec in parvo. Si autem in miraculis hic quidem hæc, ille vero illa dixit, hoc te non conturbet: si enim unus omnia dixisset, superfluum esset numerus reliquorum; si omnes diversa, nequaquam consonantia demonstratio appareret. Si autem aliquid de temporibus, vel modis differenter annuntiant, hoc nihil impedit eorum quæ dicta sunt veritate, ut infra ostendetur. AUGUSTINUS de Conf. Evang. (Lib. 1. cap. 2. in med.) Quamvis autem singuli eorum suam quandam narrandi ordinem tenuisse videantur, non tamen unusquisque eorum velut alterius præcedentis ignarus voluisse scribere reperitur, vel ignorata prætermisisse, quæ scripsisset alius invenitur; sed sicut unicuique inspiratum est, non superfluum cooperationem (1) sui laboris adjunxit. GLOSSA. Sublimitas autem evangelicæ doctrinæ consistit quidem primo in ejus excellentissima auctoritate. AUGUSTINUS de Conf. Evang. (Lib. 1. cap. 1. in princ.) Inter omnes enim divinas auctoritates, quæ sanctis litteris continentur, Evangelium merito excellit, cujus primi prædicatores Apostoli fuerunt, qui Dominum Jesum Salvatorem nostrum Christum etiam in carne præsentem viderunt; quorum quidam, hoc est Matthæus, & Joannes, etiam scripta de illo, quæ scribenda visa sunt, libris singulis ediderunt. Ac ne putaretur, quod attinet ad percipiendum, ac prædicandum Evangelium, interesse aliquid utrum illi annuntient qui eundem Dominum hic in carne apparentem secuti sunt, an illi qui ex illis comperta fideliter crediderunt, divina providentia procurantur, per Spiritum Sanctum ut quibusdam ex illis qui primos Apostolos sequebantur, non solum annuntiandi, verum etiam scribendi tribueretur auctoritas. GLOSSA. Et sic patet quod sublimitas evangelicæ auctoritatis à Christo dependet; & hoc designatur in verbis Prophetæ præmissis, cum dicitur: *Super montem excelsum ascende tu.* Mons enim excelsum Christus est, de quo idem Esaias dicit (cap. 2.) *Erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium;* id est, super omnes sanctos, qui à monte Christo montes dicuntur: quia de plenitudine ejus omnes accepimus. Recte autem ad Matthæum dicitur: *Supra montem excelsum ascende tu:* quia, sicut prædictum est, ipse in propria persona facta Christi vidit, & ejus doctrinam audivit. AUGUSTINUS de Quæst. Evang. (Lib. 1. cap. 7.) Illud autem discutendum est quod solet nonnullis movere, cur ipse Dominus nihil scriperit, ut aliis de ipso scribentibus necesse sit credere. Sed nequaquam dicendum est, quod ipse non scriperit, quandoquidem membra ejus id operata sunt quod dictante capite cognoverunt. Quicquid enim de suis factis, & dictis non legere voluit, hoc scribendum illis tamquam suis manibus (2) imperavit. GLOSSA. Secundo etiam

(1) Al. desit sui. (2) Al. impetravit.



etiam habet evangelica doctrina sublimitatem virtutis; unde Apostolus dicit (Rom. 1.) quod „Evangelium virtus Dei est in salutem omni credenti.“ Et hoc ostendit Propheta in præmissis verbis, cum dicit: *Exalta in fortitudine vocem tuam*: in quo etiam modum evangelicæ doctrinæ designat in exaltatione vocis, per quam doctrinæ claritas datur. AUGUSTINUS ad Volusii. (epist. 3. prope finem.) Modus enim ipse quo sancta Scriptura contextitur, est omnibus accessibilis, paucissimis penetrabilis: ea quæ aperte continet quasi amicus familiaris sine fuce ad cor loquitur in doctorum, atque doctorum; ea vero quæ in mysteriis occultat, nec ipsa eloquio superbo erigit, quo non audeat accedere mens tardiuscula, & inerudita, quasi pauper ad divitem; sed invitat omnes humili sermone, quos non solum manifesta pascit, sed etiam secreta exerceat veritate; hoc tam in promptis, quam in reconditis habens. Sed ne aperta fastidirentur, eadem rursus aperta desiderantur; desiderata quodammodo renovantur; renovata suaviter intrinquantur. His salubriter & prava corriguntur, & parva nutriuntur, & magna oblectantur ingenia. GLOSSA. Sed quia vox exaltata longius auditur, potuit in exaltatione vocis, evangelicæ doctrinæ publicatio designari quia non ad unam tantum gentem, sed ad universas nationes prædicanda mandatur. „Prædicate“ (inquit Dominus Marc. 16.) „Evangelium omni creaturæ.“ GREGORIUS (hom. 29. in Evang.) Potest enim omnis creaturæ nomine natio gentium designari. GLOSSA. Tertio autem habet evangelica doctrina altitudinem libertatis. AUGUSTINUS contra Adversarium legis, & Proph. (Lib. 1. cap. 17. post medium.) In veteri enim testamento, propter temporalium bonorum promissionem, malorumque comminationem, servos parit temporalis Hierusalem; in novo autem, ubi fides impetrat caritatem, qua lux possit impleri, non magis timore penæ, quam dilectione iustitiæ, liberos parit Hierusalem æterna. GLOSSA. Unde & hanc sublimitatem doctrinæ evangelicæ Propheta designat dicens: *Exalta, noli timere*. Restat autem videre quibus, & qua de causa hoc Evangelium sit scriptum. HIERONYMUS (in Prol. sup. Matth. ad Euseb. in medio) Matthæus enim Evangelium in Judæa Hebræo sermone edidit, ob eorum maxime causam qui in Hierusalem crederant ex Judæis: cum enim primo prædicasset Evangelium in Judæa, volens transire ad gentes, primus Evangelium scripsit Hebræice, quod fratribus à quibus ibat, in memoria dereliquit. Sicut enim necesse fuit ad confirmationem fidei Evangelium prædicari, sic & contra hæreticos scribi. CHRYSOSTOMUS super Matth. (in Prologo super opus imperfectum in Matth.) Corpus autem suæ narrationis ordinavit Matthæus: primum ergo nativitatem, deinde baptismum, tertio tentationem, quarto doctrinam, quinto miracula, sexto passionem, septimo resurrectionem, & ascensionem ipsius; non solum historiam de Christo exponere volens per hoc, verum etiam evangelicæ vitæ statum docere: quoniam nihil est quod ex parentibus nascimur, nisi iterum per aquam, & Spiritum renati fuerimus ex Deo. Post baptismum autem necesse est contra diabolum stare. Post hoc quasi omni superata tentatione factus idoneus ad docendum, si quidem sacerdos est, doceat, & doctrinam suam (1) bonæ vitæ, quasi miraculis factis, commendat; si laicus est, operibus doceat fidem. Deinde necesse est exire nos de hoc stadio mundi, & tunc restat ut tentationem victoriam resurrectionis merces sequatur, & gloria. GLOSSA. Patet igitur ex præmissis Evangelii nomen, evangelicæ doctrinæ materia, Scriptorum Evangelii figura, numerus, tempus, lingua, differentia, & ordo, evangelicæ doctrinæ sublimitas, & quibus hoc evangelium sit conscriptum, & ordo, processus ipsius.

(1) Forte bona vita.



SANCTUM  
JESU CHRISTI EVANGELIUM  
SECUNDUM MATTHÆUM.

CAPUT I.

(a) **L**iber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham.  
(b) Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Jacob. Jacob autem genuit Joatham, & fratres ejus.

(c) Judas autem genuit Phares, & Zaram de Thamar. Phares autem genuit Efron. Efron autem genuit Aram. Aram autem genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naasson. Naasson autem genuit Salmon. Salmon autem genuit Booz de Rahab. Booz autem genuit Obeth ex Ruth. Obeth autem genuit Jesse. Jesse autem genuit David Regem.

(d) David autem Rex genuit Salomonem ex ea quæ fuit Uriæ. Salomon autem genuit Roboam. Roboam autem genuit Abiam. Abias autem genuit Asa. Asa autem genuit Josaphat.

(e) Josaphat autem genuit Joram. Joram autem genuit Oziam. Ozias autem genuit Joatham. Joatham autem genuit Achaz. Achaz autem genuit Ezechiam. Ezechias autem genuit Manassem. Manassés autem genuit Amon. Amon autem genuit Josiam. Josias autem genuit Jechoniam, & fratres ejus in transmigratione Babylonis.

(f) Et post transmigrationem Babylonis Jechonias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel. Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eliacim. Eliacim autem genuit Azor. Azor autem genuit Sadoch. Sadoch autem genuit Achim. Achim autem genuit Eliud. Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Mathan. Mathan autem genuit Jacob.

(g) Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus.

(h) Omnes itaque generationes ab Abraham usque ad David generationes quatuordecim. & à David usque ad transmigrationem Babylonis, generationes quatuordecim, & à transmigratione Babylonis usque ad Christum generationes quatuordecim.

(i) Christi autem generatio sit erat. Cum esset desponsata mater Jesu Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto.

(k) Joseph autem vir ejus cum esset justus, & nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam.

(l) Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est.

(m) Pariet autem filium, & vocabis nomen ejus Jesus: ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.

(n) Hoc autem totum factum est ut adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem: Ecce virgo in utero habebit, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum Nobiscum Deus.

(o) Exurgens autem Joseph à somno, fecit sicut præcepit ei Angelus Domini, & accipit Mariam conjugem suam: & non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum: & vocavit nomen ejus Jesus.